



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 12. Iudæus vinculis exemptus baptizatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

*Iudæus à Beata Virgine vinculis exemptus,
Laureti Baptismo expiatur.*

Cap. XII.

NEc Christianos solum, sed etiam Iudæos Lauretana Virgo suæ benignitatis, opisque participes fecit. Nazarenus fuit Hebræus vir alioqui grauis, ac prudens, qui Nazarethi habitabat in vico, vbi Lauretanæ Domus diximus extare vestigia. Is igitur ex loci vicinitate, de quo multa fando audierat admirabilia, religionis aliquid traxerat. Iam Mariæ cui fauebat suæ, quam tanto à Christianis coli honore cognorat: iam à Christo ipso eandem ob causam haud sane multum abhorrebat. Cæterum, vt est genus hominum durum, atque obstinatum, in auita hærebat superstitione, qua illum à puero diuturnus vsus implicauerat. Sed grauis calamitas tandem obfirmatum animum flexit. Iam sexagenarius ob patratum nescio quod facinus, à Turcis comprehensus æternis addicitur vinculis. Tandem ærumnis confectus, desperata salute corporis, de animo cogitare cœpit. mox iniecta diuinitus ingenti salutis cura, veniam à Deo mundi conditore suppliciter orare instiruit. ita victa malis obstinatio, & diuina lux caliganti animo oborta. Ergo, & Iesum Christianorum Messiam, & Mariam Messiam matrem venerabundus implorat. Id cum impense fecisset, discedit cubitum spei, ac fiduciæ plenus. Nec vana spes fuit. Eadem nocte secundum quietem se illi obtulit Christus: quem cum ex specie, qua coli à Christianis solet, agnouisset; verum Deum, ac Messiam professus, insuper supplex adorauit in somnis. Confestim illi eximia pulchritudine, ac maiestate virginis species oblata est, cuius iussu altera virgo eius comes Nazarenum catenis eximit, quibus vincus tenebatur: fori-

Aa 2 busque

*Ann. Laur.
Riera.*

busque carceris reſeratis, adhuc ſopitum ſomno, ſed per quietem, quæ re ipſa gerebantur, videntem deducit ad portum. Ibi potior virgo, quæ alterius Domina videbatur, nauiculam paratam oſtendens; Iam liber es, inquit, eſto liberatricis memor. en tibi effugium paravi, nec deero fugienti, tu modo Lauretum, quod oppidum in Piceno Italiae regione eſt, pete: ibi Chriſtianiſ initiatus ſacris ad Mariae aram te ſiſte, ſuſcepto conſilio vitæ melioris. Tum vero Iudæus gratijs vtrique, ac præcipue ei, quæ primas tenebat, actis, orare liberatricem ſuam, vt nomen ſuum edere ne grauetur. Et illa cum ſe Mariam Lauretanam, Luciam comitem eſſe dixiſſet; ſubito cum comite ex oculis abiit. Tum demum euigilans Hebræus veram rei geſtæ ſpeciem ſibi in quiete oblatam ſenſit. Dum rei miraculo defixus hæret, nullumque grates agendi Lauretanæ Virgini modum facit; nauicula, quam B. Maria hortante conſcenderat, per maria ſua ſponte incredibili celeritate ferebatur. Itaque diuino ductu impulſuque Anconam appellitur biduo. Miraculo deinde vulgato, à primoribus ciuitatis benigne accipitur; quibus instantibus, vt ibi baptiſmate ablueretur, atqui, inquit, Maria Chriſti mater Laureti me baptizari iuſſit. Ergo à Prætoſe Anconitano cum litteris commendatitijs dimiſſus Lauretum pergit: ibique Chriſtianiſ myſterijs ſatis imbutus Baptiſmo expiatur, ingenti vel ſuo, vel aliorum gaudio, ſæculi huius anno LX. Tota res ab ipſo per interpretem Riera, & alijs enarratur.